



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quam habeat homo liberam voluntatem naturaliter.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

dicit ad Galat. 3. Omnes vos vnum estis per fidem in Christum. Non etiam vult Deus non imputare peccatum, si quis solùm velit se committere suæ misericordiæ, seclusa fide in Christum. Sic aliqui volebant dicere ex verbis prophetæ Psal. 31. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, &c. nam sic gratis venisset & laborasset Christus, Galat. 2. Non ergò vult Deus secludi Christum, immò quòd non imputat peccatum, ex misericordia propter Christum, est propter solam fidem in Christum, & ob nullam aliam fidem. Ideò vbique Apostoli adiungunt in negotio fidei & salutis Iesum Christum, propter illum nobis offertur Euangelium & salus, & nobis denunciatur eius verbum, quod si quis acceptauerit, certus erit de salute.

CAP. XX

ARGVMENTA.

1. *Quàm habeat homo liberam voluntatem naturaliter.*
2. *Quæ sit spiritualis libertas sanctificati hominis.*
3. *Quomodo voluntas nostra est causa contingentiarum rerum.*

HOMO primus fuit creatus cum originali iustitia, homo rectus, & non corruptæ naturæ, quia originali iustitia potuisset Deo verè obediuisse, timuisse & dilexisse, & sine peccato fuisse. Sed peccans ex persuasione serpentis Genes. 3. perdidit illam iustitiam originalem, & natura ipsa infecta est atque vitiosa, ita vt nunc homo post peccatum ex sua natura & voluntate non possit Deum verè diligere, timere, aut illi credere, nec quippiam boni cogitare, multò minus fa-

nus facere, 2 Corin. 3. Nisi adiutorio alieno, scilicet Spiritu sancti, excitetur adiuueturq; & hoc maximè in his rebus atq; virtutibus Deum referentibus. Manet tamen & manet in homine post peccatum, & nondum sanctificato naturalis quædam libertas aut liberum arbitrium, quam naturæ conditor cõtulit, & naturam sic ornauit, sicut adest magnitudo donorum in summis ingenijs, scientiam in Aristotele, in Scipione magnitudo animi &c. & talia sunt peculiaria dona & opera Dei, sicuti oculi, aures, &c. Quibus Deus naturam ornauit, & hæc non priuauit peccatum. Ea igitur naturali libertate potest homo efficere & facere ea, quæ rationi nostræ subiecta sunt, vel huc vel illuc ire, hoc genus cibi aut vestimenti eligere, dormire, sedere, &c. Sic libertatem carnalis atque ciuilibus iustitiæ efficiendæ, id est, seruare leges imperiales ac superiorum. Item etiam seruare legem quoad factum, scilicet continere manus à furto, homicidio, adulterio &c. Sic loqui, tacere, colere, argumētari &c. Summa, quæ naturali rationi sunt subiecta, ibi post peccatum manet voluntati naturalis libertas. Exigit quoque Deus externa illa atque honesta opera rationi subiecta, etiam in impijs propter tranquillitatem hominum, & egregijs præmijs adornat hanc carnis iustitiam. Sic præmiata est humanitas Obstetricum Aegypti, Exod. 1. Et iustitia quam fecit, atq; seruitium Nabuchodonosor, Ezech. 29. Punit quoque Deus grauissimis pœnis corporalibus violatores legis externæ, sicut docet repentina submissio Pharaonis, propter interfectos masculos in Aegypto, Exod. 14. Sic multorum Tyrannorum punitiones etiam apud infideles. In impijs & nondum sanctificatis benefacta corporaliter præmiantur, & malefacta puniuntur. Habet igitur homo naturalem illam voluntatis libertatem, quo iustitiam carnis potest efficere, sicut dicit Apostolus Rom. 2. Cùm gentes legem non habe-

haberent &c. Habet quoque illam libertatem in externis actibus.

Spiritualis libertas, quæ sic dicitur, quia de internis motibus cordis est, non solum de externis actibus, est, quando voluntas adiuuatur per gratiam & adiutorium Spiritus sancti, ut possit in bonum internum consentire, scilicet verè corde diligere, timere Deum, & ipsi fidere: habere mansuetudinem, misericordiam erga proximum, atque alios fructus Spiritus sancti, Galat. 5. Nam sine tali adiutorio & gratia non potest voluntas naturali sua libertate habere vel efficere 1. Cor. 2. Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei, id est, naturalis homo non potest ex sua natura efficere fructus Spiritus sancti: Nam peccatum hæret in natura, quod facit, ne integram obedientiam præstemus Legi Dei, ex toto corde diligendo & fidendo. Et quoniam humana voluntas per se ex natura sua non potest tollere hanc corruptionem naturæ, sicuti nec mortem, quæ est propriissimus effectus istius corruptionis, Rom. 6. Stipendium peccati mors: Ideò quando negatur aut extenuatur libertas vel liberum arbitrium, respicitur ad illos externos motus, & non ad exteriora facta, eò quòd sine Spiritu sancto non potest efficere spirituales effectus, quos Deus requirit, scilicet verum timorem, veram fiduciam misericordiæ Dei, obedientiam, tolerantiam afflictionum, dilectionem Dei, & similes motus: & sic, quoad illos motus, dicitur, quia homo non habet liberum arbitrium: nam tales in natura corrupta non sunt. Nec homo ex se efficere potest sua naturali libertate, oportet igitur ut donentur à Spiritu sancto tales motus interiores, qui postquam consentiunt legi & actibus exterioribus, opus placet & integrum est. Insuper voluntas renouata Spiritu sancto, non est penitus ociosa & sine actione sed adiuuatur, ut verius fiat libera, & aliquid potest in externis

ternis